

duas aures, & denique omnia organa nostrorum sensuum externorum sunt duplicia:

6. Et quia non nisi unam & simplicem cogitationem unius rei eodem tempore habemus, necessario oportet dari aliquem locum, in quo duæ imagines quæ à duobus oculis veniunt, aut duæ illæ aliæ impressiones, quæ ab unico objecto veniunt per duplicia organa aliorum sensuum, possint convenire in unum antequam ad animam perveniant, ne ipsi representent duo objecta loco unius.

7. Et facile concipere est has imagines aut alias impressiones uniri in hac glandula, operâ spirituum qui replent cavitates cerebri; sed nullus alius locus in corpore est in quo ita possint uniri, nisi quatenus in hac glandula unitæ fuerint.

EXERCITATIO XCIII.

Paralipomena quædam de sensuum gradibus.

I. **C**Artes. P. I. 23. Quamvis in nobis perfectio quædam sit quod sentiamus, quia tamen in omni sensu passio est (nempe in primo & secundo gradu, ut suprâ expositum) & pati est ab aliquo pendere, nullo modo, Deum sentire putandum est; sed tantummodo intelligere (purè) & velle.

2. Iudicium illud non refertur ad sensum

T t

I. quod